CONFIRMATIO BONORUM ANGELORUM IN N. T. ET FINE MUNDI NON DEMUM FUTURA

QUAM

DEO JUVANTE

PRAESIDE

CHRISTIANO EBERHARDO WEISMANNO,

THEOLOGIÆ DOCT. & P. P. ORDINARIO,
ECCLESIÆ DECANO & SEMINARII DUCALIS
SUPERATTENDENTE,

D. MENSIS MARTII A. D. MDCCXLI.

PUBLICE VENTILANDAM PROPONET

RESPONDENS

M. JOHANNES THEOPHILUS FABER
SS. THEOLOGIÆ STUDIOSUS & SERENISSIMI STIPENDIARIUS.

TUBINGÆ,

CHRISTIANI GODOFREDI COTTÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

§. I.

CUm non ita pridem in *L. M. Artemonii Initio Evangelii Johannis illuſtrato* relegerem denuo, quæ is ſingulari ſtudio *de confirmatione bonorum Angelorum in N. T. demum per Chriſtum facta* ibidem congeſſit, atque multa reperirem, examine ulteriori non prorſus indigna, placuit id argumentum *Diſſertationi* cuidam *Academicæ* deſtinare ad aliorum Theologorum exemplum, qui pridem, ſingularibus quoque libellis, pro ſui temporis & ſcopi ratione, examinarunt hanc cauſam, inter quos jam maxime allegamus JO. SCHMIDIUM, Lipſienſem olim Theologum, cuius *Diſſertatio* de *angelorum in bono confirmatione* A. MDCCXXX prodiit, atque nuper a nobis poſt repetitam lectionem expenſa eſt. Nihil eſt usque adeo tritum in doctrinis, quod non renovata facie hinc inde prodeat. Nulla meſſis eſt, quæ non ſua poſt ſe relinquat ſpicilegia. Sæpe ea præ cæteris ignorant homines, quæ ipſis debebant eſſe notiſſima. Sæpe difficilius eſt, & magis neceſſarium ac utile tamen, retractare, & feliciter tractare res obvias, quam tentare aliquid cum plauſu in argumentis obſcuris ac difficilibus. Nec tamen, ſi verum fateri volumus, hæc doctrina de *angelorum bonorum confirmatione*, tam facilis, tam expedita eſt omni ex parte ſuis tricis ac difficultatibus, ut nihil ſuperſit amplius, quod hanc in rem dici adjicique hactenus dictis mereatur. Ad minimum aptiſſima hæc ſunt, quæ *publico colloquio* materiam & occaſionem præbeant ampliſſimam, diſcentibus vero inſerviant ad explorandos ſuos profectus, atque ad menſuram ſui judicii confirmandam, quod tandem debet eſſe ſapiens, maturum, atque ad pretioſum diſcernendum a vili pro gradu neceſſario idoneum. Liceat hoc quoque commendationis loco adjungere noſtra ex parte, quo-

Digitized by Google

huius cauſæ ulterius examen illuſtrare adhuc & amplificare poſſit id ipſum, quod in *Inſtit.* noſtris *Exegetico-Dogmaticis p. 219. ſeq.* item *p. 300 314.* brevius de hac materia docuimus. Jungemus igitur cum pace Lectorum vetera novis: explicabimus obſcuriora: de certis confidenter: de incertis autem circumſpecte & ſobrie pronunciabimus: Præferemus quoque ſummam rei, nec terebrabimus milium. Cognitis denique utemur ac fruemur: non ſatis autem cognita ſuo relinquemus loco. Deus autem nos regat & adjuvet!

§. 2.

Facimus igitur initium noſtræ tractationis allegando propria *Artemonii* verba, quæ textus quaſi loco nobis inſervient. Sic proponit ſuam de toto hoc ſuo Syſtemate ſententiam. "Monumenta antiquioris doctrinæ de nova Creatione ultimis temporibus per λογον ſeu Chriſtum effecta eſſe, quod pereuntia ſecula ſtiterit, omnia per ipſum aut in ipſo συνεστηκε conſtiterint: novum mundo exordium, ut porro permaneret, comparaverit, impetraverit, dederit, adeoque, cum in mundo eſſet, mundus per ipſum factus ſit: Angelos ipſos in novum plane ſtatum, imo ad perfectionem & impeccabilitatem, adeoque ad infinitam felicemque durationem nunc ſub Evangelio adduxerit & evexerit.„ Addit deinceps, ſe in *Defenſione ſua Confeſſionis Unitariorum §. 16. p. 72. ſeqq.* de iſta diſſolutione rerum omnium, niſi Chriſtus interveniſſet, pluribus egiſſe. „Ibi, inquit porro, etiam Angelos poſt lapſum Diaboli in cœlo relictos labiles fuiſſe ſemper, ac per Chriſtum demum ſub Evangelio corroborandos & in bono confirmandos, non paucis ex Scriptura locis argumentisque probavimus. Inter alia locum illum Apoc. V, 2. 3. urſimus, ubi ſane, etiam inter angelos in cœlo, non novus Meſſias & Redemtor humani generis, ſed num aliquis inter eos perfecte juſtus eſſet, & abſque ulla labe inveniri poſſet, qui dignus eſſet aperire librum, quærebatur, nec ſane inventus erat.„ Hanc rationem deinceps in nota* ſeqq. verbis confirmare conatur. „Vide, ait, annon tunc Apoc. V. 2. 3. Deus angelos εδειγματισεν εν παρρησια, ac cum in ſe ipſis triumphare non poſſent, in Chriſto eos triumphare fecerit, ut Col. II. 15. dicitur: qui triumphus etiam ibidem Apoc. V. 11. 12. VII. 12. deſcribitur, ubi ſalutis Deo & agno adſcribendæ v. 10. mentione facta omnes Angeli ſtatim id exulta-

bundi approbant & dicunt: Amen, Benedictio & gloria, & ſapientia, & gratiarum actio, & honor, & potentia, & robur Deo noſtro (in Chriſto, de quo res eſt) in Secula Seculorum. Amen. Et locum ad Hebr. I. 9. ibidem inculcavimus, ubi Chriſtus inter alia propterea angelis præſtantior dicitur eſſe factus, & præ iſtis angelis in regimine mundi participibus ſuis oleo lætitiæ unctus fuiſſe aſſeritur, quia præ iſtis participibus ſuis amavit juſtitiam, & odio habuit iniquitatem. Nam ſi angeli abſque ulla labe & lapſu, ac perfecte quoque; juſtitiam ſemper amaviſſent, quomodo eo nomine, ob amorem nempe juſtitiæ & odium iniqui, Chriſtus præ illis oleo lætitiæ perfundi potuiſſet? Ipſum quoque Michaëlem Archangelum Jud. ep. v. 9. (illis τολμηταις & αυθαδεσι 2 Petr. II. 10. oppoſitum) cum Diabolo de corpore Moſis diſceptantem non auſum eſſe (ουκ ετολμησε) eum durioribus excipere verbis, caute & circumſpecte cum eo diſputaſſe, obſervavimus. Qui vero iam in bono, ut labi nequeat, confirmatus eſt, ei non opus eſt, ut timide, circumſpecte, & caute agat loquaturque. Quicquid tunc dicit & facit, juſtum eſt & æquum. Et hæc ipſa Michaelis timida & cauta agendi ratio probat, eum non fuiſſe illum putativum Λογον, jam ante nativitatem ſuam ex Maria apparentem, Angelorum & ipſius Diaboli creatorem prorſus impeccabilem. Hagg. c. II. 7. (p. 606.) per cœlum & terram ipſi homines & Angeli intelliguntur: quia, poſtquam vox Dei in legislatione Sinaitica, homines ſolos ad accipiendam legem εσαλευσε, commoverat, Propheta prædixit, fore, ut Deus adhuc ſemel, non tantum terram, i. e. homines, ſed etiam cœlum, i. e. angelos, ad accipiendam nempe legem Evangelii commoveat. Quod ſi vero lex angelis ſub Evangelio data fuit, datæ quoque fuerunt promiſſiones, ut etiam hinc eos ad novam in Chriſto creationem & reſtaurationem omnino pertinere videas. Cæterum autem cœlitus deſcenſurus & in mundum introducendus eſt Filius, in ſecundo nempe ſuo adventu: quo tempore, hominibus fidelibus a vanitate liberatis, etiam ipſi Angeli, non quidem ipſi corruptioni, ſed ſervituti corruptionis ſubiecti (ſerviunt enim nunc filiis Dei in vanitate & corruptione conſtitutis ſec. Rom. IIX. 19-21.) ab iſta ſervitute liberabuntur, & tunc etiam demum in bono, ne ullo modo labi poſſint, per Chriſtum perfecte confirmabuntur, quod illa verba Deut. XXXII. 43. *Corroborentur* in eo, aut eo, aut ei, *omnes filii Dei:* adeoque etiam Ang-

innuunt. Si vero Angeli in Deo per Chriſtum corroborantur, & immutabiles redduntur, facilius iam ille locus Col. I. 16. ſeqq. *in Chriſto creata ſunt omnia* &c. de nova creatione explanari poteſt: hoc enim pacto & angeli cœleſtes magnam partem novæ creationis & conſervationis, magnam, inquam, partem novi mundi & novi cœli conſtituunt: novæ, dico, creationis, in primo Chriſti adventu inchoatæ, in ſecundo magnam partem conſummandæ.„ Denique inter alia removet *Artemonius* temperamentum *Jacobi Peircii*, quo is in *Not. in Epiſt. ad Philipp. p. 32.* bonos Angelos exiſtimat errare poſſe defectu ſcientiæ, licet in ſanctitate non labiles ſtatuantur: ſi enim (ſic excipit) defectu ſcientiæ errare poſſunt, poſſunt non ſatis ad rem attendere, poſſunt in inquiſitione veritatis negligentiores eſſe, adeoque poſſunt vitioſi eſſe.„ Putem hæc principalia eſſe loca *Artemonii* de hac materia, quæ nobis jam ad ſcopum noſtrum quam maxime ſufficiunt.

§. 3.

Priusquam vero ad ſpeciales iſtas meditationes examinando procedamus, procul dubio, ipſo ordine exigente, neceſſe eſt, ut ante omnia, quid per confirmationem bonorum Angelorum intelligant Theologi? diſtinctius explicetur, riteque formato ſtatu controverſiæ eo pateat apertius, quam vim probandi objectiones ab *Artemonio* propoſitæ habeant, nec ne? Scil. non eſt quæſtio de quovis ſtatu ſanctitatis & puritatis moralis, in quo creatos fuiſſe omnes Spiritus angelicos, plurimos autem perſeveraſſe quoque poſt lapſum ceterorum, ex Scriptura nimis eſt manifeſtum, quam ut negari poſſit cum aliqua ſpecie. Ad minimum hæc res controverſa non eſt apud eos Theologos, quos præſens noſtra *Diſſertatio* reſpicit. Neque illud ſufficit ad exhauriendam quæſtionem, an perſeverantes in ſua erga Deum fidelitate angeli, deficientibus reliquis, ulteriorem menſuram gratiæ, ac divinas remunerationes exinde acceperint, ipſique boni angeli per fortes & generoſos illos actus ſuæ fidelitatis creverint in habitu concreatæ ſanctitatis? Non putem, quemquam eorum id negare, qui diverſas & contrarias de angelorum bonorum confirmatione fovent ſententias. Cum Scriptura, tum ipſa quoque rei natura, de iſto profectu dubitare non ſinunt. Neque in præſentia ſolliciti erimus præcipue de illorum cogitatis, qui

hunc ſtatum confirmationis bonorum angelorum explicant per ablationem libertatis, & ceſſationem omnis legis & obedientiæ, eamque neceſſitatem bene faciendi cum curſu ſolis & lunæ & ventorum flatu comparant: utut jam alio loco eadem pro exaggeratis, hocque ſenſu falſis, declaraverimus. Sed huc redit præſens controverſia: an angeli perſeverantes in fidelitate pridem, & loco præmii ſuæ fidelitatis tunc Deo præſtitæ, eum gratiæ gloriæque gradum divinitus ſint conſecuti, per quem obtinuerunt, ut non modo nunquam actu peccaverint, ſive per totalem lapſum, ſive per peccata infirmitatis, ſed etiam (impoſſibilitate non phyſica, ſed morali ſummi gradus) ne labi quidem & ſtatu ſuo ſancto & beato excidere poſſint? hincque neceſſe non habuerint in Novo demum Teſtamento, vel in conſummatione ſeculorum, ad eam gratiam gloriamque pervenire? vel an potius boni quoque & fideles angeli usque ad Chriſtum & finem ſeculorum eo usque labiles, atque in mobili ſanctitatis ſtatu permanſerint, ut inde rurſus excidere, ſaltem peccata infirmitatis committere potuerint, donec per Chriſtum Dominum per novæ creationis ſpeciem una cum toto mundo, omnibusque rebus in cœlo & in terra exiſtentibus, corroborati & immutabiles fuerint redditi, nova inſuper felicitate & beatitudine in ipſo ſeculi fine per eundem ad ipſos quoque redundatura? Poſterius aſſerit & docet *Artemonius* in *verbis citatis?* Prius autem communiter Theologi affirmant.

§. 4.

Videamus nunc, quam valide & fortiter ſuam *Artemonius* confirmaverit ſententiam. Primo loco notamus in genere, non parum eſſe ſuſpectum, quod is in conatu hypotheſin aliam abs ſe electam ſtabilitamque eo commodius defendendi, atque adeo ex nexu Syſtematico, non vero conſilio primitivo, doctrinam iſtam arripuerit: id enim plerumque ſignum eſt occupati animi, ac veritatem nativam deſerere parati. Notum eſt, non poſtremum pro Divinitate Filii Dei argumentum ex illis repeti *Scripturæ* locis, in quibus eidem opus creationis rerum omnium adſcribitur, qualia maxime ſunt *Joh. I. 3. Hebr. I. 2. 10. Col. I. 16. 17.* &c. De hoc ſi ſemel conſtiterit, per ſe profecto corruit Socinianorum Syſtema Anti-Trinitarium. Ne igitur cederent, maximo labore conati ſunt oſtendere, in omnibus illis locis non de prin[cipio] mundi creatione atque origine doceri, ſed de nova crea[tione]

ſeu reparatione ac corroboratione rerum omnium, facta per Chriſtum & propter Chriſtum in tempore N. T. conſummanda aliquando in fine ſeculorum. Quoniam vero in illis textibus angelorum quoque fit mentio, neceſſe igitur erat his non minus, atque aliis Creaturis, partem aliquam in iſta nova creatione & corroboratione aſſignare, cumque obſtaret communior ſententia de confirmatione & beatitudine perfecta angelorum bonorum pridem facta, hanc negare, aliamque longe recentiorem, atque commodiorem novo Syſtemati, periodum, conquiſitis operoſe rationibus vindicare. Maxime autem prima hujus hypotheſeos ſtamina, quæ apud primos Doctores ſuæ ſectæ invenit, omni ingenii vi, & per exquiſitiſſimos rabuliſmos, ornavit, auxit, & confirmavit *Artemonius*. Fuerunt quidem & alii, qui, cum eſſent a dogmate Anti-Trinitario alieniſſimi, tamen propendebant in ſententiam, quod Chriſtus angelorum quoque dici poſſit Mediator. Sed iſti, præterquam quod a plerisque aliis Theologis fuerint deſerti confutatique, *Socinianis* hac parte erant diſſimillimi, nec ullo præjudicio ſingulari, maxime tam pernicioſo, in eam opinionem inducebantur. Quod autem *ſecundo loco* ad ipſas rationes probantes *Artemonii* attinet, in illis tantum roboris non eſt, quantum ibi ſe reperiſſe putavit, quod per exempla jam oſtendemus.

§. 5.

Primum argumentum petit *Artemonius* ex *Apoc. V. 2. 3.* quia in cœlo quoque, atque adeo inter ipſos etiam Angelos, non novus Meſſias & Redemtor humani generis, ſed nemo perfecte juſtus, ac omni labe vacuus, fuerit inventus, qui dignus eſſet aperire librum &c. Hunc vero ſenſum eſſe iſtius viſionis, nemini in mentem veniet, niſi valde præoccupato. Id facile conceditur, angelos æque ac alios, ſolo excepto Agno, ab ea dignitate librum in viſione oſtenſum aperiendi ibidem excludi. Nec tamen dicitur in textu, id propterea factum, quia nemo in cœlo ſit perfecte juſtus, atque ab omni labe purus, ſed quia ſoli Agno mactato, h. e. Redemtori hæc gloria & dignitas competebat, id quod clariſſimum eſt ex *v. 12.* quo introducitur *immanis multitudo Sanctorum* tanquam *dicens magna voce: Dignus eſt Agnus, qui mactatus fuit accipere potentiam* &c. & paulo ante *v. 9.* *[Dig]nus es accipere librum & aperire Sigilla ejus, quia mactatus es,*

& emiſti nos Deo per ſanguinem tuum. Hæc qualitas, hæc inde reſultans dignitas, ſolius erat Agni, non vero angelorum, etiamſi ſanctiſſimi ſint omnique labe puri. Plana & facilia hæc ſunt, unde vix apparet, quid ſibi velit *Artemonius*, cum dicit, non novum Meſſiam & Redemtorem humani generis fuiſſe voce iſta validi angeli quæſitum, ſed perfecte juſtum. Utique non fuit ſcopus illius viſionis, novum Redemtorem oſtendere, ſed declarare potius, illum ipſum Redemtorem, qui ſanguinem ſuum pro noſtra ſalute effudit, quique deinde *Johanni* ſpecie mactati agni oſtenſus eſt, ſolum habere poteſtatem accipiendi aperiendique librum; quod ſane ab altero ſenſu, quem prætendit *Artemonius*, longe diverſiſſimum eſt. Quis etiam dubitet, idem adhuc hodie dici poſſe, quod *C. V. Apocal. Johanne* audiente dictum eſt, quamvis, angelos bonos jam tum in bono confirmatos & illabiles factos eſſe, certum ſit, atque ab ipſo *Artemonio* aſſertum? Iſtum igitur ſenſum ea verba habere non poſſunt. Poſt hæc jam ſcripta pari ratione de *exegeſi Artemoniana* judicaſſe video B. WOLFIUM in *Curis Philolog.* ad *h. l. Mirum eſt*, inquit, *Artemonium . . . hunc locum urgere eo inſtituto potuiſſe, . . . Sc. ἀξιότητα, quæ hic requirebatur, ad aperiendum librum, quærit in innocentia & probitate morum. Nonne rectius eam quæſiturus erat in Majeſtate ſingulari, qua opus erat ad librum judiciis & decretis divinis refertum reſignandum & aperiendum* Vid. T. *ult. p. 400.* Recte miratus eſt V. D. conſequentiam illam, quæ certe haud ſimplicior & ſolidior eſt altera illa, qua *l. c. p. 309. ſeqq.* ex *Ezech. XXIIX. 2. 9.* probare ſuſtinuit *Artemonius*, immortalem naturam cum mortali hypoſtatice non poſſe conjungi: quem abortum conſequentiæ nos quoque in *Programm. Natal. tio* ante aliquot annos refutavimus.

§. 6.

Altera ratio ex *Apoc. VII. 10. 12.* depromta adhuc minus ad cauſam præſentem pertinere videtur. Certum eſt, illo loco non minimam partem in *doxologia* ibidem recitata beatos habuiſſe angelos. Certum item *v. 10. ſalutis* Deo & Agno adſcribendæ mentionem fieri: Nec minus certum, *roboris* quoque inter alia divina extare prædicatum: Nec illud difficile eſt credere, doxologiam iſtam ad *Agnum* quoque fuiſſe directam, quamvis nomen ejus diſerte non commemoretur. Sed quam longe peti-

tæ, quam improbabiles iſtæ ſunt conſequentiæ: Salutem iſtam ad angelos quoque pertinere: & ſi pertineret, in exemtione omnis reliquæ labis peccati & confirmatione ad illabilitatem conſiſtere: verba iſta: *Deo noſtro*, etiam angelorum reſpectu, ſonare, Deum in Chriſto proprium ipſis factum: Robur nominare angelos tanquam illud robur, quo & ipſi modo ſc. ab *Artemonio* ſupra deſcripto corroborentur: hunc triumphum eſſe angelorum, quo Deus angelos, cum in ſe ipſis triumphare non poſſent, *in Chriſto triumphare fecerit. Col. II. 15.* & ſic deinceps. Sophiſmata hæc ſunt, non legitimæ argumentationes. Primo enim planiſſime ſatisfactum eſt illi doxologiæ, ſi dicatur, angelos Deum & Agnum per eam laudaviſſe tanquam Autorem, non ſuæ, ſed alienæ ſalutis. Deinde prædicari potuit in *c. VII.* Deus ab Angelis, nulla diſerte agni mentione facta, quia hic alia eſt hominum, & alia angelorum, ad Deum & Agnum relatio. Si quis argutari vellet, dicere poſſet majori adhuc ſpecie, ideo in *cantico c. VII.* omiſiſſe agnum Angelos, ſolo Deo laudato, quia ſua in perſona canticum iſtud ediderunt, Creatoris, non Redemtoris, reſpectu habito. Illuſtramus id ipſum verbis *Joh. Marckii*, dum ſcribit ad *h. l. Videntur denuo angeli hic prius Amen turbæ ex Zelo præripuiſſe, applaudentes turbæ dictis, illa eſſe veriſſima & decentiſſima. In proprio interim cantico Dei ſolius mentionem faciunt, nullam explicite agni, quod ſalus per hunc ut mactatum fidelibus ſit propria.* Vid. *Comment. in Apocal. p. 267.* Porro, quod in eodem *Cantico* dixerunt Angeli: *Benedictio* &c. *Deo noſtro in ſecula ſeculorum*, nihil certe probat aliud, quam quod illi jus habeant Deum ſuum nominandi Deum, quod utique veriſſimum eſt, etiamſi nemo de *hypotheſi Artemoniana* cogitet. Eſt Deus angelorum Deus titulo Creatoris, Remuneratoris, & beatificatoris, utut hæc beneficia in Chriſto ipſis non contingant, quemadmodum id locum habet in hominibus. Denique robur & potentiam iidem beati Angeli Deo & Agno adſcribere potuerunt, ejusque deprædicare efficaciam ex mille titulis aliis, præterquam ſuæ in bono confirmationis illo demum tempore factæ: ut adeo falſa ſit paraphraſis: *Robur, quo corroboramur:* & multo magis adhuc falſa in ſenſu *Artemonii.*

§. 7.

Ad *tertium argumentum* ex *Hebr. I. 9.* reſpondendum quoque

que nobis eſt. *Si Angeli*, inquit *Artemonius*, *abſque ulla labe & lapſu, ac perfecte quoque, ſemper amaviſſent juſtitiam, quomodo eo nomine Chriſtus præ illis oleo lætitiæ perfundi potuiſſet?* Nos vero negamus hanc conſequentiam, ſive ſimpliciter de ſanctitate & puritate Chriſti Domini ſermo ſit, ſive reſpexerit Apoſtolus ſanctitatem ejus & obedientiam Mediatoriam perfectiſſimam. Utroque reſpectu ſanctitas Chriſti perfectior & major eſt ſanctitate angelorum etiam confirmatorum, ut proinde neceſſe non ſit ſtatuere, hos tunc adhuc labiles & imperfectos fuiſſe, ut Chriſtus dici poſſet cum Apoſtolo *præſtantior angelis*, *unctusque oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis.* Eſt Chriſtus Dominus *Sanctus Sanctorum* · *Dan. IX. 24.* Το ἁγιον *Luc. I. 35.* atque ita ſanctus, ut ſit ſimul *cælis ipſis excelſior. Hebr. VII. 26.* Angelos ad minimum nunc eſſe in bono confirmatos, concedit utique *Artemonius.* Atqui prærogativa illa Chriſti Domini ſupra conſortes adhuc durat, & durabit in omnem æternitatem, nec pares illi fierent angeli per confirmationem ſuam, etiamſi ea adhuc futura eſſet. Prærogativa illa non eſt in Chriſto actus quidam certi temporis, ſed ſtatus permanens & perpetuus. Eſt igitur comparatio inter Chriſtum & angelos non ratione ſanctitatis & impuritatis, ſed ratione Sanctitatis majoris & minoris, utut utrinque in ſuo genere perfectæ. Si crederet *Artemonius* unionem perſonalem in Chriſto, facile videret fundamentum infinitæ præſtantiæ Domini & Sanctitatis illius, ceterorumque donorum *Spiritus ſine menſura*, præ ipſis angelis etiam in ſuo ordine ſanctiſſimis. Quod vero ipſe non credit, nobis ſacræ perſuadent literæ: neque ipſius incredulitas qnidquam noſtræ fidei debet detrahere. Conſtat igitur, *Hebr. I. 9.* nullo jure pro *Artemonii* ſententia allegari, qui ne quidem jus habuit acquieſcendi in ſola illa parte demonſtrationis Apoſtolicæ ex unctione per oleum lætitiæ præ conſortibus, ſed etiam cum ea debuiſſet conjungere nervum illius præcipuum ex *v. 8.* ubi dicitur: *dicit autem ad Filium: Thronus tuus, Deus in ſeculum ſeculi, virga recta virga regni tui.* Certum enim eſt, principalem probationem prærogativæ Filii Dei præ angelis peti ab *Apoſtolo* ex *throno* illius, reliqua autem ad ejus amplificationem & circumſtantias pertinere. Denique ſi ponamus, *oleum* illud *lætitiæ* eſſe hic ſymbolum elevationis regiæ Salvatoris noſtri, officiique ipſius regii, cum ipſi glorioſi, tum omnibus aliis læti, nullum eſt dubium, quin hac parte confirmatis conſummatis

que in bono angelis ſit longiſſime ſuperior. Falſum itaque eſt, ſi angeli abſque ulla labe & lapſu, & perfecte quoque, juſtitiam ſemper amaviſſent, Chriſtum præ illis *oleo lætitiæ* non potuiſſe perfundi, ut prætendit *Artemonius:* uti nec illud verum eſt, Angelos heic *μέτοχοι* dici Domini, quia fuerint in regimine mundi illius participes. Plura alia omittimus.

§. 8.

Quod *quarto* exemplo *Michaelis Archangeli* probare conatur *Artemonius* ex *ep. Judæ v. 9.* angelos bonos tum nondum fuiſſe confirmatos & illabiles, facile refellitur. Nolumus cum eo heic diſputare ſuper celebri quæſtione toties ac tam operoſe ab Eruditis ventilata, an ſemper, vel hoc quoque loco, per *Michaelem Archangelum* Filius Dei ipſe intelligatur? nec ne? Nec inſtituto noſtro neceſſarium eſt, ceteras quoque illius hiſtoriæ difficultates hoc loco allegare atque exponere. In eo ſolo vim ſui argumenti collocat *Artemonius*, quod Archangelus ille *οὐκ ἐτόλμησε, non auſus ſit maledicere Satanæ*, cum quo certavit. Hinc eidem adſcribit *timiditatem & prudentiam cavendi ſibi in facto ſuo, qua illi non indigeant, qui ſint in bono confirmati. Iis vero eam competere aſſerit, qui labi & peccare poſſunt.* Ad hoc unum igitur jam reſpondere ſufficit, dimiſſis licet ceteris. Duplicem heic viam ineunt interpretes, quamvis illis conſequentia *Artemonii* in mentem haud venerit, nec de ea fuerint ſolliciti. Id potius ſemper ipſis curæ fuit, ut oſtenderent, non dedecere *Michaelem Archangelum*, quod *Judas Apoſtolus* de ipſo aſſeruit. Audiamus HERM. WITSIUM. *Credibile eſt*, inquit, *Diabolum plurimas contra Jehovam & Michaelem evomuiſſe blaſphemias: Michael autem οὐκ ἐτόλμησε, non ſuſtinuit, non induxit animum impingere ipſi notam maledicti, i.e. ultionem maledicendo ſumere: non quod timuerit Diabolum, ſed quod ex decoro omnia agere voluerit, perſonam angeli rite tueri, Diabolo diſſimillimum ſe oſtendere, & hominibus, quibus hæc erant patefacienda, patientiæ exemplar relinquere. T. II. Miſcell. Exerc. IV. p. 123. ſeq.* Et rurſus *p. 136. Pridem a Viris Græcæ linguæ peritiſſimis obſervatum eſt, quod τολμᾶν non ſolum ſit audere, ſed & καρτερεῖν ſuſtinere, non animum inducere. Ita & hic. Non quod Angelus ulla vel Diaboli reverentia abſterreretur, vel compeſceretur metu legum: Sed quod ipſe ſe comprimeret nobis manſuetudinis ac patientiæ exemplum præbiturus.* Addimus compendii cauſa unicum WOLFIUM. *Præſtare tamen*

Digitized by Google

puto, ait, *ſi verbum* τολμαν *communiori ſignificationi hic relinquatur Exemplum enim hoc angeli poteſtate ſua in Satanam non utentis opponitur hominibus improbis, qui Magiſtratus calumniari audeant. Idem a Petro ep. II. 10. appellantur* τολμηται και αυθαδεις. *Cur. Philol. T. ult. p. 359.* Concludimus ex hactenus dictis, non fuiſſe actum timiditatis lapſum aliquem hic metuentis, ſed ſanctæ humilitatis & modeſtiæ, quæ ſtatui confirmationis bonorum angelorum non repugnabat.

§. 9.

Pergimus ad *quintum argumentum* pro ſera illa Angelorum bonorum per Chriſtum confirmatione, cujus fundamentum *Artemonius* in *Hebr. XII. 26. 27.* coll. cum *Hagg. II. 7.* collocat. Supponit, per terram ibidem homines, per cœlum angelos intelligi. Id non omnes concedunt. Sed ponamus rem ita habere. Quam longe id remotum adhuc eſt ab eo, quod angeli ad illud usque tempus labiles & lapſui obnoxii per illam concuſſionem & motum cœli ad immobilem gradum ſanctitatis ſint elevandi? Probaret ea hypotheſis, angelos ſuo miniſterio & interventu partem aliquam habituros in illo motu cœli: ſed eorum ſanctificatio plena & conſummata per hoc medium nondum inde evincitur. At ſenſus eſt illius prophetiæ in *ep. ad Hebraos* applicatæ, ſi *Artemonio* fides eſt, *ſicut in legislatione Sinaitica homines ad accipiendam legem Moſaicam vox Dei permoverit: ita non homines tantum, ſed etiam Angelos ad accipiendam legem Evangelii commotum iri.* Enimvero hic ſenſus fingitur, non vero extat in textu. Non ſupponendum, ſed probandum eſt, quod Evangelium Chriſti ad ipſos quoque angelos pertineat, ipſique, ut ille loquitur, ad accipiendam legem Evangelii per σεισμον illum propheticum commovendi fuerint. Quando igitur *Artemonius* porro ſtringit argumentum, & dicit: quodſi vero lex angelis ſub Evangelio data fuit, datas quoque fuiſſe promiſſiones: hincque eos quoque ad novam in Chriſto creationem & reſtaurationem pertinere: tota hæc argumentatio nihil eſt aliud, quam funiculus ex arena contextus, qui nullibi cohæret. Si verum dicere volumus, directe & proprie nec legem, nec promiſſiones angelis attulit Evangelium Chriſti: & multo adhuc minus ſequitur, hanc promiſſionem in reſtauratione & confirmatione eorum conſiſtere, maxime prout ab *Artemonio* deſcribitur. Hu

jusmodi cogitata nullis hucusque interpretibus in mentem venerunt, ne *Socinianis* quidem. Forte præcipuum robur in eo conſtituitur, quod ſec. *Hebr. XII. 27. 28.* illa σαλευομενα dicantur ideo amoveri, ut maneant τα μη σαλευομενα, & aſſumatur poſtea regnum ασαλευτον: cum igitur & angeli fuerint inter illa σαλευομενα, eos deinde factos eſſe ασαλευτες. Sed iterum falſum eſt, applicationem & exhortationem Apoſtolicam in *cit. verſibus* ad angelos quoque referri, imo vero ad ſolos fideles homines directa eſt. Quanto autem ſimplicior & veriſimilior eſt ea commotionis illius cœli & terræ explicatio, quæ communiter legitur apud Theologos, hisque paſſim verbis exprimitur! *Signa*, inquiunt, *notantur cœleſtis majeſtatis & potentiæ, quæ cum Evangelii voce conjunxit Deus plura, cœleſtia & terreſtria: plane uti olim in eductione populi & legislatione ſic cœlum ſupremum miſit angelorum myriadas, & infimum tonitrua, fulgura, ac tempeſtates, ut terra inprimis fuerit concuſſa valide, & petra ſciſſa, & poſt aquas alias mare rubrum percuſſum. Id itaque velle heic Deum putamus, quod iterum portentoſa majeſtatis ſuæ ſigna in omni parte creatæ molis eſſet aliquando editurus, ad quæ cum Evangelio juncta ſtuperet totus orbis. Qualia cum plura narret nobis Evangelium cum Actis, ut facta, vel etiam proxime futura, ad Evangelii prædicati confirmationem, in hiſtoria naſcentis, prædicantis, morientis, reſurgentis, & exaltati Salvatoris, nempe angelorum nuntia & cantica, ſtellæ ductum, Dei ex cœlo aperto voces, Moſis & Eliæ deſcenſum, ſolis obſcurationem, terræ motum, veli rupturam, petrarum ſciſſionem, ſepulchrorum aperturam* &c. *nihil opus erit, vel incerta, vel fabuloſa, vel aliena huc referre* &c.

§. 10.

Quomodo *Sexto*, quove jure, ad hanc quæſtionem decidendam afferri queant *Rom. IIX. 19-21.* & *Deut. XXXII. 43?* valde obſcurum eſt. In *priore loco* ne in id quidem omnes conſentiunt, quod creatura expectans revelationem gloriæ filiorum Dei, atque ingemiſcens ſub ſervitute corruptionis, ſit omnis creatura rationalis: quamvis multi hodie illi faveant interpretationi. Etiam ex illis, qui κτισιν interpretantur de creaturis intelligentibus, & his quidem fidelibus, pauciſſimi ipſos etiam angelos in iſtum referunt numerum. Poſito vero, non conceſſo, includendos illi ſententiæ eſſe angelos bonos, quoniam ſerviunt nunc filiis Dei,

in vanitate & corruptione conſtitutis, nequaquam tamen inde conſequitur, quia in illa liberatione fidelium, & conſummatione ſeculi, ceſſabit quoque δουλεια angelica fidelibus præſtita, angelos tunc demum in bono, ne ullo modo labi poſſint, per Chriſtum perfecte confirmatum iri. Miniſterium angelicum, de quo *Hebr. I. 14.* agitur, ſupponit quidem homines in ſtatu viæ, tentationum, & periculorum conſtitutos, ſed perfectæ ſanctitati angelorum bonorum, & ſtatui confirmationis, nihil derogat. Dici forte poſſet longe aptius ex ea hypotheſi, angelos nondum confirmatos, & lapſus periculo adhuc obnoxios, ſatius eſſe in cœlo relinquere, quam in medias tentationes & pericula hujus mundi propter homines per hujusmodi miniſterium eosdem conjicere. Hæc ratio eo minus diſplicere debet *Artemonio*, quo licentioſius is conjectat, *fortaſſe, cum Diabolo & ſodalibus ejus terra creata homoque cuſtodiendus & obſervandus eſſet commiſſus, hominem non curare, imo ſeducere, habitaculum hoc terreſtre relinquere, ſuper nubes & aſtra aſcendere maluiſſe, & cum eo fine cælum conſcendiſſent, inde fuiſſe præcipitatos. l. c. p. 446.* Si enim hæc figmenta eſſent vera, præſentiam angelorum etiam bonorum, ſed nondum confirmatorum, in hoc mundo, & converſationem cum hominibus periculoſam ipſis fieri poſſe, inde concluderetur rectiſſime. Ad extremum male elumbem ſuam conſequentiam ex *Deut. XXXII. 43.* confirmare conatur *Artemonius. Primo* enim verba illa, ad quæ provocat, in codice noſtro Hebraico ne extant quidem: *Deinde*, quamvis ea cum nonnullis aliis legantur in verſione Alexandrina, neſcitur ſane, nec pro certo dici poteſt, unde hæc illud additamentum acceperit? *Porro* etiam ibi non angeli, ſed *filii Dei* nominantur. *Quarto* vix capimus, cur in iſto *cantico Moſis* angelis confirmationem illorum in ſenſu conſueto acceptam populus Judaicus tam ſingulari ratione apprecari jubeatur? *Denique* verba optativa vel exhortatoria: ενισχυσατωσαν αυτω παντες υιοι Θεου: hunc quoque ſenſum habere poſſunt, ut omnes filii Dei novo ſemper vigore ſe excitent ad laudes & officia Deo debita: ut ne ſomniare quidem de ſpeciali ſenſu iſto quis poſſit, niſi præoccupatiſſimus: Nullus enim inter iſta duo nexus eſt neceſſarius. In totam illam cauſam diligentius inquirere voluit WOLFIUS. Num vero id fecerit? ignoramus. Supereſt, ut *Septimam* noviſſimamque *rationem Artemonii* examinemus, quam ſibi in *pri-*

Digitized by Google

mo & *ſecundo epiſtola Pauli* ad *Coloſſenſes capite* invenire viſus eſt, ſubſidiarie tamen potius, quam directe, & cum fiducia ab ipſo adhibitam. Hypotheſes ejus fundamentales ſunt, in *priore loco* non de creatione prima, ſed ſecunda renovatoria ſermonem eſſe: in *poſteriore* autem non de angelis malis, ſed de bonis potius, dici, quod partim exuti fuerint, partim in Chriſto & per Chriſtum ad triumphum adducti. Utramque autem legitimo carere fundamento, jam noſtra quoque ex parte oſtendimus in *Inſtitut. Exeg. Dogm. p. 219. ſeq.* quæ hoc loco jam repetere noluimus. Id unum adjicimus, ſi vel admitterentur expoſitiones illæ, ne ſic tamen ſequi, novam illam creationem, exuitionem & triumphum in illis actibus conſiſtere quoad angelos, quos *Artemonius* inde conatur aſſerere. Nervo etiam caret, quando idem iſtam angelorum ἀπεκδυσιν ex *Apoc. IV.* & *V.* illuſtraturus, *antea*, inquit, *in thronis in cœlo angeli præcipui ſedebant* (*ſi Apocryphum librum ei rei probandæ allegari fas eſt*) *nam Sap. Salom. c. XVIII. 15. angelus ille primogenitorum Ægypti exterminator de cœlo* ἐκ θρονων βασιλειων, *e thronis regiis* (*adeoque plures erant in cœlo throni regii*) *proſiliiſſe dicitur: hic vero* XXIV. *Seniores ex hominibus, non angeli, circa thronum Dei in thronis regalibus ſedentes coronati exhibentur. l. c. p. 451. not.* *. Si cogites, quid hæc faciant ad cauſam præſentem? illuc tandem res redit, ideo tamen bonos angelos, licet cedentes ſuo principatu, Chriſtoque jam ſubjectos, in Chriſto triumphaſſe & exultaſſe, quoniam inſignem in Chriſto felicitatem reperiant. *l. c. p. 595.* Poſſumus autem hic noſtra facere Doctiſſ. WOLFII verba, quæ is inter alia ad *Col. II. 15.* adſcripſit. *Mireris interim*, inquit, *fuiſſe, qui* ἀρχας *illas de bonis angelis acciperent. Sc. nonnulli vigilantes ſomniare didicerunt.* T. *ult. Curar. Philol. p. 321.* Plura in ipſo colloquio addere parati ſumus. Argumentum maxime ex *Sap. Sal. c. XVIII. 15.* ficulneum eſſe cenſemus. Tota Schola COCCEJI cum multis aliis ſingularem fovet hypotheſin de dominio Angelorum in V. T. ætate N. T. deinceps ceſſante. Sed præterquam quod certatim ab aliis Theologis ea fuerit refutata, neque COCCEJUS, neque ceteri ejuſdem in hac cauſa aſſeclæ, hac occaſione quæſtionem de confirmatione bonorum angelorum admiſcuerunt unquam.

§. 11.

§. II.

Quicquid paginæ huic penſo deſtinatæ ſupereſt, miſcellaneis quibusdam obſervationibus de eodem themate impendemus. 1. Si quæratur, quomodo nos confirmationem bonorum Angelorum deſcriptam velimus? reſpondemus, nos etiamnum in illa docendi forma acquieſcere, quam in *Inſtitut.* noſtris *Exegetico-Dogmaticis p. 300. ſeq.* tradidimus. Si quæratur 2. quid de illorum typo ſit ſentiendum, qui per confirmationem non quidem ſummam lubentiam & alacritatem bene faciendi, ſed libertatem tamen in Angelis ſublatam eſſe exiſtimant? dicimus, eandem hic regnare æquivocationem & ambiguitatem in vocabulo libertatis & neceſſitatis, quæ in univerſum in tota hac regnat materia. Si quæratur 3. an omnia illa argumenta, quibus dudum præterita Angelorum bonorum confirmatio probari ſolet a Theologis affirmantibus, ſint ſolida ac demonſtrativa? Reſpondemus, mirum non fore, ſi hac quoque in materia par robur non eſſet in omnibus, & rem ita ſe habere, nos poſtea probabimus: deinde ipſam inæqualitatem ſæpe non eſſe in argumentis ipſis, ſed in ſtatu habituque diſputantium: porro defendere parati ſumus, partis negantis rationes etiam conjunctas affirmantium rationibus collective ſumtis longe eſſe inferiores imbecillioresque: imo abſolute loquendo ita haſce eſſe comparatas, ut animus haud contentioſus, nec aliunde præoccupatus, tuto poſſit in principalibus acquieſcere. Si 4. in ſpecie quæratur, an ex viſione Dei beatifica, quæ angelis tribuitur, & ſtatu eorum cœleſti certo concludi poſſit, eos in ſtatu confirmationis & illabilitatis eſſe conſtitutos? hujus quæſtionis deciſio plurimum pendebit ab altera quæſtione: annon angeli ſtatim ab initio ſuæ creationis in cœlo extiterint, Deumque viderint beatifice? In cœlo fuiſſe omnes angelos creatos, illi ad minimum negare non poſſunt, qui illos *exercitibus cæli Gen. II. 1.* comprehendunt, qui οικητηριον eorum *Jud. ep. v. 6.* de cœlo explicant, qui denique, angelos apoſtatas poſt lapſum ſuum *e cælo ejectos* a Scriptura paſſim dici, non dubitant. Quodſi autem a creatione ſua in cœlo, locoque & ſtatu cœleſti fuerunt angeli, difficile deinceps videtur, negare ipſis viſionem Dei. Cum vero & hæc ſupponitur, grave illud inde dubium oritur, quomodo fieri potuerit, ut laberentur & peccarent eorum plurimi, quo

tamen revera factum eſſe, certiſſimum eſt? Viderunt utique has difficultates univerſi, ſed, easdem ut effugerent, in varias meditationes dilapſi ſunt. Nihil jam dicam de illo Syſtemate, quod hunc Orbem noſtrum, ſed in ſtatu non parum diverſo, Angelis in primum adſignat domicilium, per ipſorum lapſum poſtea in vaſtitatem & inanitatem converſum. Neque repetam conjecturas *Artemonii* ſupra poſitas de Angelis in cuſtodiam & obſervationem datis primis hominibus, ſed inde proprio arbitrio diſcedendo altiora repetentibus. Scholaſtici ordinarie diputant, in cœlo quidem creatos eſſe angelos, ſed non empyreo, ſed ſidereo, vel ſecundum alios in empyreo quidem, at non ſummo. V. TANNER *Theol. Scholaſt. T. I. p. 1294.* & DERKENNIS *Tr. de Deo, uno, Trino, Creatore p. 399.* inſtar omnium. Negant quoque ex *Noſtris*, quod angeli ita in cœlo fuerint a creatione ſua, ut ad viſionem Dei beatificam admitterentur, procul dubio, quia effectum viſionis hujus omnimodam impeccabilitatem ſtatuunt, cum alias metuendum ſit, ne in vita & beatitudine æterna quoque, non obſtante viſione beatifica, relapſus ex illo ſtatu credatur poſſibilis. Alii vero rectius veritati tam gravi putant conſultum, ſi diſtinguatur inter viſionem Dei tempore probationis nonnunquam diſcontinuatam, & in gradu remiſſiore diſpenſatam, atque inter eandem ut perpetuam, & conjunctam ex parte ſubjecti Deum videntis cum exercitata & confirmata conſuetudine cum Deo converſandi, & ſtatuatur, in priore ſenſu etiam eos, qui viderunt Deum, poſſe peccare & labi: minime vero in poſteriore: quem in modum nos *l. c. p. 280.* & *300.* de hac materia diſſeruimus: eſtque hæc forma docendi eo probabilior, quo magis certum eſt, etiam viatores homines poſſe ad viſionem beatificam ad tempus, & per intervalla, admitti, ut tamen per id nondum fiant impeccabiles & perfecte ſancti. Sin id diſpliceat, unicuique, quî velit hunc nodum diſſolvere, liberum eſt relinquendum. Quæritur vero & *5.* de aliis quibusdam argumentis, quibus hic utuntur Theologi. Concludunt ex ισαγγελια *Luc. XX. 36. Quia itaque beati æternum cum Deo erunt, neque beatitudine ſua unquam excident, ultro conſequitur, de angelis idem dicendum eſſe.* Sed excipi forſitan adhuc poſſet, ισαγγελιαν l. c. reſtringi ad ſubſtratam quæſtionem, nimirum ad ſimilitudinem beatorum in vita æterna cum angelis qualitate & ſtatu corporum glorioſorum, ad mortem & nuptias

non amplius habilium. Deinde concedet *Artemonius* aliqui hanc ſimilitudinem in beata æternitate futuram: Sed negabi eam vel in hominibus, vel in angelis, ante conſummationem ſe culi perfecte locum habituram. At rectius dicitur, hoc quoqu Salvatorem innuere, quod beati homines poſt reſurrectionen tales futuri ſint, quales jam ſunt & pridem fuerunt angeli bon & beati. Porro dicunt: Angeli boni vocantur *electi*. *I. Tim. V* *II. E. inſtar electorum perire nequeunt. Ut electi homines olim i bono erunt confirmati: Ita ex pari ratione & angeli.* Putem vero concluſionem heic eſſe certiorem, quam argumentum probans ſupponit enim, Scripturam, quando electos pronuntiat homines, ſemper de electione, quam vocant, finali & immutabil loqui: cujus contrarium in *Inſtit. noſtris* probavimus. Habere autem illud prædicatum in angelis hunc ſenſum, certiori nititur fundamento, quia illi in cœlo & ſtatu cœleſti verſantur. *Gal I. 8.* per hypotheſin impoſſibilem loqui, tunc demum dici poteſt, ſi prius fuerit probatum, angelos non poſſe amplius errare aut labi. Id ergo aliunde, non vero ex hoc loco, evincendum. Quod denique de *voragine* & *chaſmate* dicitur *Luc. XVI 26.* directe & proxime eo pertinet, non eſſe permiſſum Lazaro aut aliis venire ad epulonem ipſius recreandi gratia proprio lubitu. Num vero indirecte hoc χάσμα immutabilitatem utriusque ſtatus evincat? alia quæſtio eſt, quam epulonem non moviſſe, atque adeo ad eam haud reſponſum eſſe, videri poſſit. Hæc vero omnia ulteriori meditationi relinquimus, non temere decidentes, ſed examen maturius commendantes, ut noſtri ſtringere argumenta ſua diſcant, & ſtatum controverſiæ in omnibus accurate obſervare. Quærimus *Sexto*, quodnam momentum in hac doctrina de confirmatione bonorum angelorum fidelitatem eorum in ſtatu probationis ſecuta reſideat? Prima autem fronte multum curioſitatis non ſimpliciter neceſſariæ eſſe in hac quæſtione videri poſſit, partim, quia Scriptura ipſa in tradenda Spirituum angelicorum hiſtoria brevior atque obſcurior eſt, partim quia ejus rei ſcientia tam prope ad fidem & ſalutem noſtram non ſpectat. Quodſi vero perpendamus, quanta res fuerit ſemper miniſterium angelicum inter homines, ſive viſibile, ſive inviſibile, quantum interſit gloriæ divinæ cauſa cœleſtia illa negotia & glorioſa exequi per miniſtros ſummo gradu probatos & fideles: quam neceſſe ſit fueritque ex p

ominum certam ſecuritatem habere ab omni periculo ſeductio-
is & dubitationis: quanto gradu opus fuerit Spiritibus malis
ı malo radicatis & exercitatis opponere Spiribus bonos Deo
roximos, ſanctiſſimos, fideliſſimos, omnique denique robore
c virtute cœleſti inſtructiſſimos: & quæ ſunt alia id genus plu-
a; certe intelligemus ex his quoque momentis, eſſe hanc de
atu confirmationis & conſummatæ ſanctitatis angelorum bo-
orum doctrinam ſuavem, piam, Deo glorioſam, hominibus
utem quam maxime ſalutarem & utilem, maxime cum ipſum
)ei verbum ſatis perſpicue ſolideque de tanta veritate nos do-
eat. Caveamus de cetero nobis ab aliis quæſtionibus ac tricis
ıutiliter curioſis, quibus homines, ut alias multas, ita & do-
trinam de angelis, præter Verbum Dei onerarunt & fœdarunt
d nauſeam usque. Denique *Septimo* ſi quæratur, annon tem-
eramentum aliquod poſſit teneri ad moderandas haſce de con-
irmatione bonorum Angelorum controverſias? omnino exi-
timamus, non debere deſeri confirmationem ipſam eorum ad
radum usque impeccabilitatis, factam ſc. divinitus poſt glorio-
ım illam fidelitatem, quam Deo, labentibus ceteris, præſtite-
ınt: nihil tamen obſtare, quo minus in exercitio ſanctitatis &
loriæ confirmatæ per actus perpetuo continuatos, ex angelo-
ım parte, & reſpectu Dei per abundantiſſimam ſui communio-
em & inhabitationem, novos ſemper gradus & incrementa
erpetua acceſſiſſe, & acceſſura eſſe in æternitatum æternitates,
atuamus: confirmationem iſtam non eſſe concipiendam per
ɔllationem phyſicam novæ naturæ, & novorum naturalium:
d per magnitudinem & efficaciam donorum gratiæ & gloriæ
ıoralem quidem, ſed ſummi ordinis impoſſibilitatem relaben-
efficientium: eſſe in illis aliqua beneficia & motiva ex Chriſti
)omini Redemtione per communionem indirectam ad angelos
ıoque redundantia, utut directe & immediate ſuam confirma-
ɔnem Chriſto qua Mediatori non debeant: denique in ſimpli-
tate ſubſtantiæ hujus doctrinæ eſſe ſubſiſtendum. Quibus
æc placent, illis ad conciliandas has lites difficilis non erit adi-
tus: imo forte illos ne prima quidem pars hujus doctrinæ,
quam poſuimus, valde morabitur.

❀(o)❀